

P. 6. 44

oo K

Theologie
P. VII 35t. 625.



11

O R A T I O
C O N T I N E N S E X -
P L I C A T I O N E M P A R A B O -
L A E T R A D I T A E A C H R I S T O
M A T T H . X I I I .

Simile est regnum caelorum negotiatori, quaerenti pulchras MARGARITAS: Qui inventa magna precij margarita, abiens vendidit omnia quae habuit, & emit eam:

Recitata à

C H R I S T O P H O R O P E Z E L I O

S. Theologiae Doctore.

In Solenni initiatione auditorij novi,

S C H O L A E B R E M E N S I S .

I I I I . C a l e n d . I u n i j A n n o C h r i s t i 1 5 8 4 .



In officina Theodori Gluichstein.

*ab Bogen B
zu vorigem Teil*



PHILIPPI MELANTHONIS
De Margaritis Epigramma.

Sicut arenoso sitiens in littore Concha,
Quando suum primum Ver modò tempus agit:
Siccior a celi stillantem cardine rorem,
Pinguior ut fiat fertilitate, petit:
Quo bene nunc hausto (quod & est enim mirabile dictu)
Gemma salutaris cordibus inde venit:
Hæc tamen in magnis generosior acta procellis
Si modò post rorem turbo sequatur, erit:
Parua redemptoris sic est Ecclesia Christi
Donec in hac mundi colluione latet.
Appetit è celo caelestia dogmata, rorem
Dogmata viuentis tradita voce Dei.
Hoc sic attracto sitiens in pectore rore,
Nascitur inq; animis mox nova gemma pijs
Scilicet agnitio vero de nomine vera
Cumq; Dei surgit firma timore fides.
Æterni bonitas tunc fit conspecta parentis
Quando fide pectus sentit adesse λόγος.
Hæc lux atq; fides inter certamina crescit
Cum petit auxilium maxime Christe tuum.
Hæc quoq; contriti cordis data gemma dolori
Vnica solamen, quod medeatur, habet
Prestat & aeterna verissima gaudia vitæ
Gaudia, que nullo sunt moritura die.
Has propter causas ad gemmam dogmata pacis
Filius aeterni comparat ipse Dei.

*CLARISSIMIS ET AMPLISS:
VIRIS, PRVDENTIA, VIRTVTE AC DIGNI-
TATE PRÆSTANTIBVS, D. D. CONSVLIBVS ET
SENATORIBVS Inclytæ Republicæ BREMEN*

SIS Dominis suis Colendis.

S. P. D.



Deò Deus homines ad societa-
tem Condidit. eosq; in Oeco-
nomijs ac politijs magna varie-
tate officiorum inter se deuin-
xit, non ut in vita tranquilla vo-
luptatibus tantum fruamur, &
paulatim natiuo calore corpo-
rum deflagante, vt fit in pomis
& pecudibus, sine spe immorta-
litis suauiter putrescamus: sed ut in consociata homi-
num multitudine Luceat notitia Dei, & in frequetia illa
Deus celebretur atq; inuocetur, & alij ab alijs ea doctri-
na imbuantur, quæ aditum ad æternam lætitiã & Dei
Consuetudinem patefacit.

Hunc finem Consociationis hominum eleganter
his versibus (toties a beata illa anima Philippi Melan-
thonis celebratis) Complexus est Iohannes Stigelius,
quem ego adolescens in annum quartum audiui in Aca-
demia Genensi:

Vtq; alios alij de religione docerent

Contiguas pietas iussit habere domos,

Hinc vrbes structæ, quarum est ante omnia munus,

Afferuisse Deo, quam iubet esse, fidem.

Dolendum est autem paucos gubernatores in imperijs
& Rebuspub. hunc finem prospicere, ut notitia Dei pro-
pagetur. Digna est etiam repræhensione in vulgo ho-
minum imperitia illa iudiciorum, qua plæriq; quoties

A 2 de

de veris ornamentis & nervis Ciuitatum iudicandū est, externa tantū commoda illa mirantur ac magnificiunt, qualia sunt abundantia & copia rerum, quæ ad vitum cultumq; corporis pertinent, pascuorum fæcunditas, agrorumq; fertilitas, mercimonia, splendor ædificiorum, munitiones aggerum, armorum apparatus:

Quod si qui videri volunt intelligentiores, ij Contenti ferè sunt commendatione honestarum legum, disciplinæ, iudiciorum, & pacis politicæ. Sed hæc bona, etsi fatendum est, esse in signia Dei dona, tamen vitæ corporum tantum seruiunt, & vna cum hac vita mortali defitura sunt.

Magis verò laudanda est illorum gubernatorū tūm sapientia, tūm pietas Christiana, qui præcipuum finem vniuersæ vitæ ac societatis humanæ attentè considerantes, hoc summum decus ciuitatum esse agnoscunt, in eoque rectè constituendo laborem & operam ponunt, vt vera notitia & cultus Dei inter homines vigeat, & tūm ipsi, tūm ciues, ipsorum gubernationi subditi, pijs studijs & honestis vitæ officiis communiter Deo seruiant, Denique & veram de Deo doctrinā fideliter ad posteros propagent.

Id verò fieri alia ratione non potest, quàm cū in politijs Ecclesiæ & scholæ rectè constitutæ sunt: in quibus sonet incorrupta vox Euangelij, & inuentus in vera pietate & literis diligenter erudiatur.

Tales Respublicæ quæ Ecclesiæ & scholarum domicilia sunt, verissimè conferri atque comparari possunt, cū ANNULO pulcherr aureo, cui inclusa est gemma magni pretij: vel cū catena seu TORQUE, pulcherrimè fabricato, ex quo dependet monile, seu clinodium, seu vnio preciosissimus. Profectò enim Ecclesia, & his adiunctæ Scholæ piæ, instar gemmæ seu Margaritæ præstantissimæ sunt

sunt: Et cætera ornamenta ciuilia, quæ foris in oculos incurrunt, tantùm superant, quantum vniones vulgarib⁹ lapidibus dignitate antecellunt.

Ac vt annuli precium minuitur, exempta gemma, quã pala continebat: aut sicut torques aureus plurimùm amittit de precio & pulchritudine sua, remoto monili, quod appensum fuerat: sic præcipuum decus ciuitatum abest, cùm negliguntur in Rebus publicis scholæ & Ecclesia.

Memini Reuerendum virũ, communem quondã totius Germaniæ præceptorẽ PHILIPPVM MELANTHONEM, alia quadam imagine rem eandem exprimere, cùm diceret, si quando minister noctu præcederet lichnum gestans inclusum laternæ: sibi cogitanti de vita communi, venire in mētem, Politias quæ hospitium præbere debent Ecclesiæ & Scholis, similes esse laternæ: doctrinam cœlestem, quæ in Ecclesia & scholis traditur, similem esse lichno. Ac vt laternæ in tenebris sine lychno nullus vsus est: Ita vrbes, extincta agnitione Dei, & rerũ bonarum doctrinã, inutiles moles esse.

Hæc imago, etsi à re vili sumpta, non infulsè tamen cogitata est, vt multæ sunt paruæ maximarum rerũ imagines valdè illustres.

Sed quanquam concinna est collatio lucis & doctrinæ (vt enim lux oculos corporis: sic doctrina mentem illustrat) tamen ad priorem illam similitudinem redeo, de annulo seu torque aureo, continente vnionem aut aliam gemmam nobilem.

Nam & Christus sese, & doctrinam suam non modò luci comparat, sed etiam thesauro & margaritæ preciosæ. Et quia doctrina de Christo retineri ac propagari nõ potest sine literis, & artibus quæ in Christianorum scholis traduntur: non absurdum est, ipsas etiã scholas, quæ sunt bona magna que pars, imò flos & seminarium Ec-

A 3 clesiæ,

clesiæ, conferre cum gemmis & clinodijs præstantissimis, inprimisque cum Margarita magni precij, quemadmodum & in Apocalypsi, cœlestis illa Hierusalem sic pingitur, quòd portas duodecim habeat, quarum singulæ portæ constent margaritis singulis.

Quemadmodum igitur pulcherrimum nobis spectaculum præbet, cùm intuemur regem aut principem aut virum heroicum, ornatum sceptro, colloq; monile Baccatum, & duplicem gemmis auroque Coronam, vt ait Poëta, gestantem: sic illæ demùm Respublicæ summum atque pulcherrimum decus adeptæ sunt, quæ præter externa ornamenta politica, scholas & Ecclesias habent benè constitutas, in quibus artium & linguarum necessariarum studia florent, & doctrina de Deo & filio eius Domino nostro Iesu Christo sine corruptelis traditur.

Hoc tantum decus, VOBIS etiam, viri amplissimi, & Reipublicæ huic inclytæ toto pectore gratulor: Et Deo gratias ago, quòd & hæctenus Ecclesiam & scholam in hac vrbe seruauit, & animos vestros accendit atque excitauit, vt Ecclesiæ mediocriter instauratæ, scholam celebriorem adiungere cupiatis, in qua plures, quàm antehac, præceptores doceant, & initia superiorum disciplinarum cum doctrina pietatis iuuentuti fideliter proponant.

Huius sanctissimi instituti, vt initium aliquod faceretis, nõ modò per amplissimos Dominos Scholarchas auditorium nouum parari, & publicarum lectionum munus pluribus commendari voluistis: sed plerique etiam ex amplissimo ordine vestro, initiationi gymnasij nuper interesse, eaque re tum ciuibus vestris, qui frequentes aderant, tum alijs honoratis viris, quorum augusta præsentia cætum illum ornabat: Omniùm verò maxime scholasticis, qui summam spem de vestra erga literas pia affectione conceperunt, testimonium publicum ostendere dignat;

dignati estis, deinceps quoque scholam beneficio vestro magis magisque augendam & amplificandam, curæ vobis futuram esse.

De quo non tam vt vos monerem sponte vestra incitatos, quàm velut signo erecto, & die illa initiationis, vt prouerbiali figura loquar, quasi vnione notata, in aliorum animis spem de honestissima voluntate vestra conceptam confirmarem: Nō grauatim obsecutus sum petitioni amicorum, qui orationem qualemcunque à me de appellationibus & natura margaritarum & de imagine Ecclesiæ & ministerij Euangelici, cui scholæ seruire potissimum debent, in solenni illo congressu habitam, publici iuris fieri, ac typis imprimi voluerent.

Quibus eo etiam libentius gratificatus sum, quòd omnibus dulcissimam illam parabolam Christi quàm commendatissimam esse cupiam: in qua cū Euangelium margarito conferat, haud dubiè ad multa similia in natura huius gemmæ alludit, vt passim in omnia mundi corpora sparsa sunt signa quædam rerum diuinarum. Cumque hoc margaritum emi à nobis velit, eo ipso scholarum & Ecclesiæ curam Magistratui, & doctrinarum studia discentibus commendat, quæ non sunt abijcienda propter iniqua iudicia siue indoctorum siue malorū, & propter pericula & ærumnas, quæ comitantur professionem Euangelij.

Vt enim purior fit margarita in tempestatibus: ita doctrina in certaminibus fit illustrior: Et regit ac seruat DEVS Ecclesiam mirabiliter, & tuetur politias honestas, quandiu sunt hospitia doctrinæ purioris.

Hac spe erecti, singuli constanter faciamus officium nostrum, & petamus à filio Dei, vt nos gubernet, & ei gratias agamus, quòd hætenus nos clementer protexit, & Margaritam, id est Euangelium nobis donauit, & retinere

nerē hoc, atque ad posteros propagare, tanquā præclarum depositum & magni precij thesaurum studeamus.

Hoc enim VNVM, vt Christus ad Marthā nimis sollicitē occupatam in quærēdis bonis terrenis aiebat, NECESSARIVM est. Cætera quæ mūdus magnificat, caduca sunt, & fluctu magis mobilia. At qui cum Maria ad Christi pedes sedent, optimam partem eligunt, quæ non auferetur ab eis.

Bene ac feliciter valete. Viri amplissimi, & studium ac voluntatem meam bene precandi honestiss. proposito vestor, in optimam partem accipite & quemadmodum cæpistis, scholam vobis comēdatam perpetuo habete.

Quòd si Dianæ templo gloriosum esse putauit Iulius Cæsar, cū thoracem ex margaritis contextum in eo suspendit: vt narrat Plinius: vos etiam initijs noui gymnasij vestri nolite indecorū ducere, quòd pro felici publicorum studiorum auspicio, Christi ipsius, summi Magistri Ecclesiæ, parabolam de Margaritis vobis scholæque vestræ dicare nuncupareque volui. Scriptum Mense Iunio Anno Christi 1584.

Vestræ Amplitudini

Addictissimus

Christophorus Pezelius

S. Theologiæ Doctor.



Agna nobis spes erat, Generose Baro, amplissimi consules, venerandi Ecclesie ministri, honestissimi Senatores & ciues, & vos ingenui, optimaq; spei adolescentes ac pueri: permagna, inquam, omnibus nobis spes erat, habituros nos hoc tempore, scholæ huius Rectorem, virum doctissimum M. Rodolphum Goclenium: Qui & hodiernæ noui huius auditorij inaugurationi præset: & in posterum operas scholasticas sic moderaretur, ut tum ea, quæ in clasibus inferioribus agenda sunt, tum illa quoq; quæ in lectionibus, caterisq; exercitationibus publicis adiungenda deinceps erunt, consilio & industria sua in ordinem certum redigeret, Deniq; collegis reliquis gnauiter eum adiuuantibus, non solum studia adolescentum, sed etiam mores & disciplinam authoritate, labore, & studio suo gubernaret ac regeret.

Posteaquam enim ab obitu eruditissimi viri Iohannis Molani Scholæ Bremensis Reçtoris piæ memoria, prudentissimus Senatus noster, de schola non modo conseruanda, sed etiam amplificanda, diligenti cura cogitationeq; suscepta, Reverendum & clarissimum virum Doctorem Casparum Crucigerum ad Reçtoratum Gymnasij huius vocasset, cui per Illustrissimum Hassiæ Landgrauium, vocationem eam sequi non licuit: Commendatus nobis à multis fuit, is quem antea nominavi M. Goclenius, propter egregias animi dotes, quæ vel precipuè eminere debent in scholarum gubernatoribus. Quæ causa fuit, cur in pleno Senatu mature decretum factum sit, de eo huc accersendo. Et venit ille quidem ad nos mense Martio: quo tempore coràm nobis operam suam condixit, & acceptis ab amplissimo Senatu nostro literis, quibus vocatio ei confirmabatur, ita tum à nobis discessit, ut proximis duabus septimanis post Paschatis

B festum

festum elapsis, rediturum se ad nos, & scholæ labores inchoaturum esse sponderet. Domum etiam reuersus, sedulo hoc egit ut missione ab Illustrissimis principibus Landgrauijs & Academia Marpurgensi, in qua Professoris locum aliquot annis obtinuit, impetrata, fidem suam apud nos liberaret, seq̃ ad id quod pollicitus fuerat tempus, cum familia sua huc transferret.

Verum Academia huic ipsius vocationi intercedēs, obnixè apud utrumq̃ principem Landgrauium petijt, ut, nede statione sua ille decederet, providerēt, quòd non occurrat eis tam subito idoneus successor, qui & publicis disputationibus presit, & Physica cum Elementis Matheseos simul doceat, & priuatas scholas, artiumq̃ repetitiones habeat, quæ omnia M. Goclenius in Academia illa unus prestiterit. Hac intercessione Academia factum est, ut publicè priuatimq̃, postea, mādato utriusq̃ principis, per Consiliarios & Academia proceres cum M. Goclenio actiones variæ susceptæ sint, quibus ille hæcenus Marpurgi detentus est, & ut verèdū nobis est, deinceps detinebitur diutius.

Erit autem, vt planè futurum speramus atq̃, confidimus, amplissimo Senatui nostro cura, ut propter gloriam Filij Dei & Ecclesie ac Reipub. commodum, & scholæ necessitatem, vel de M. Goclenio, si bona cum Principum pace, venia, & gratia fieri omnino possit, ad nos pertrahendo, vel si obtineri id nequeat, de alio idoneo Reçtore vocando diligenter elaborēt, ne quid apud nos detrimenti patiatur res scholastica. Interea verò qui presentes sunt, quiq̃ venerandi Senatus auctoritate adducti scholæ utilitati seruire decreuerunt, non existimarunt operas suas differendas diutius.

Itaq̃ & ego nuper ad consuetas lectiones meas redij: Et quod felix faustumq̃ sit & Reipub. huic & Gymnasio isti salutare, Inchoabit Paulò post vir optimus ac doctissimus, M. Casparus Alteneich Coloniensis prælectionem institutionum juris, in quarum explicatione antehac, dum floreret Academia VViteber-

tebergensis, annos circiter triginta, tum priuatim tum publice magna sua cum laude, & fructu discentium versatus est.

Confido & clarissimum virum D. Ebichium, & virum Reuerendum D. VVilhelmum, sine longiore mora interposita initium facturos esse suarum operarum, quas ille in Elementis doctrinae Physicae, hic in Hebraea linguae rudimentis proponendis, scholae praestiturus est, ne discendi occasiones desint ijs, qui praeter artium dicendi praecepta, & authores in utraque lingua, qui in classibus inferioribus traduntur, doctrinam uberiores requirunt.

Neque deest nobis voluntas deliberandi de exercitijs Declamationum & Disputationum, easque pro virili adjuuandi tantisper, dum contingat nobis Rector idoneus, Deo fortunante, & amplissimo Magistratu officium suum faciente: Quem totus hic scholasticus catus una mecum supplex orat atque obtestatur, nulli ut labori aut sumtui parcat, donec scholae prospectum sit, cum de Rectore, tum de alijs pluribus viris doctis, & autoritate ac rerum scholasticarum usu praestantibus, qui iuuentutem paulatim huc confluentem, ac Deo fauente magis magisque studiorum causa huc accessuram, in linguis & artibus necessarijs, atque etiam in ceteris disciplinis grauioribus utiliter erudiant.

Quam sit enim pium, quam utile, quamque necessarium in hac postrema mundi senecta scholas instituere, augere, amplificare, fouere ac defendere: tantum abest, ut oratione longa exponi debeat, ut ex praesente Ecclesiarum & Rerum pub. statu, omnibus in partibus orbis Christiani nutante, & scholarum publicarum ruina & vastitate, quae passim ob oculos cernitur, sani atque intelligentes omnes sua sponte iudicare possint, nihil ad praesentis seculi incolumitatem, nihil ad posteritatis securam salutem opportunius fieri posse, quam si scholae recte constituatur, in quibus cum puritate religionis, bonae artes & linguae & prima legum incunabula proponantur. Tales enim scholae verissime sunt Ec-

clesia & Reipub. seminaria, in quibus iuuentus aliquando posteris seruitura in precipuis vite ordinibus, educanda, & doctrina pietatis ac virtutum, & eruditione liberali imbuenda est, ut in Ecclesia doctrinae caelestis veritas conseruetur ac propagetur, Respub. bene justeq; administrantur, inter ciues honestas ac tranquillitas publicè priuatimq; retineatur.

Nec dubium est ad curam Magistratus vel præcipuè pertinere, ut (quoniam voce diuina Dij nominantur) custodes sint rerum istarum optimarum, quæ diuina bona sunt, religionis, disciplinae, eruditionis liberalis, quarum rerum officina ac domicilia sunt scholæ rectè constitutæ.

Sed erit fortè alia occasio opportunior, cum de scholarum necessitate & de Magistratus in ijs constituendis officio, plura dicendi locus dabitur. Et fiet id tum commodius, cum Dei opt. Max. Benignitas, & cura ac sollicitudo amplissimi Senatus nostri, Rectorem scholæ nobis dederit, in cuius introductione velut Encenia Gymnasij noui peragenda erunt. Nunc verò quia ad auditorij saltem huius inaugurationem conuenimus, iuuentutis Scholasticæ causa, illam mihi concionem Christi explicandam sumpsi, quæ apud Matth. extat Cap. 13. Simile est regnum celorum, homini negociatori, quærenti pulcras margaritas, qui cum inuenerit unam preciosam Margaritam, abiens vendidit omnia, quæ possidebat & mercatus est illam.

Breuis hæc concio est, sed dulcis consideranti, Quia multa docet de Ecclesia, cuius pars sunt præcipua scholæ Christianæ: & de doctrina Euangelij, cuius retinendæ ac propagandæ adminicula sunt literæ & artes, quæ in scholis traduntur.

Peto autem à vobis, Magnifici, clarissimi, ornatissimiq; viri, ut quo candore in concionibus sacris me quotidie balbutientem auditis, Eodem candore, qualemcunq; hanc Concionis illius Christi explicationem benignè ex me audiatis: In qua primò de appellationibus & natura vnionum seu Margaritarum dicam,
quar-

quantum ex veteribus rerum naturalium scriptoribus nobis constat. Deinde & imagines dulcissimas, quæ in hoc admirando naturæ spectaculo propositæ nobis sunt, ea qua fieri poterit breuitate, commemorabo, ut quoties uniones intuemur, commonefacti dicto Christi, de rebus ad pietatem Christianam pertinentibus piè cogitemus. Quòd si propter angustiam temporis non omnia, ut Iurisperitorum phrasi utar, lingua nuncupata fuerint, vestrum erit pro sapientia & æquitate vestra, altius apud animos vestros singula perpèdere.

Equidem tres appellationes reperio maximè notas & usitatas apud autores, quæ unam & eandem gemmã significant, quarum duæ, videlicet Berberith & Margaris, unde nomina sunt Barbaræ & Margareta, ab Hebræa origine deriuantur, Tertia latina est, Vnio. Nam Athenæus lib. 3. narrat Indis usitatum esse nomen Βέρβερι, haud dubiè à puritate & præstantia, quia Bar in multarum gentiũ linguis significat idem, quod ὕψιστος, id est, sincerum, purum, & ut latini dicunt verum & pulcrum. Congruere autem hanc appellationem cum rei natura oculi testantur. Nihil enim purius aut magis elaboratum est, quàm hæc gemma. Aliæ gentes omnes, præter Romanos, hunc lapillum propter amarum saporem, qui gustu in eo deprehenditur, Margaridem seu Margaritam appellant, quasi dicas amaram crustam, à garith, id est, crusta, & Mar, quod amarum significat ut ex multis hebraicis nominibus apparet. Nam ex eadem voce Mar dicunt nomen esse Maria, quod perinde sonat ac si dicas amariciem temporũ Et ab eadẽ origine est vocabulũ Myrrhe quam gustu percipim⁹, non modò acrem, sed etiã amarã esse.

Latine appellationis, qua hæc gemma VNIO vocatur, diuersæ rationes ab authoribus traduntur. Ita enim Plinius inquit: Dos omnis in candore, magnitudine, orbe, leuore, pondere, haud promptis rebus, in tantũ, ut nulli duo reperiantur indiscreti. Vnde nomen unionũ, Romana scilicet imposuere delicia.

Ammianus verò Marcellinus lib. 23 unionum nomen his gemmis impositum esse arbitratur, quòd Indica & Persica conchule singulas Margaritas aliquoties pariant, sed majores.

Et si autem in ceteris conchis quaternos aut ad summum quinos uniones reperiri, Plinius scriptum reliquit: tamen non desunt, qui affirmet, sæpe in una aliqua grandi concha ultra centum uniones reperiri. Germànica vox Berlin à forma seu figura granuli deducta est. Vnde & baccarum nomē ad margaritas trāslatū est

Et hætenus quidem nominis saltem descriptionem audivistis. Cum autē mens non acquiescat sola nominis interpretatione audita, sed deduci velit in rem presentem, quantum fieri potest, ut rem ipsam propius aspiciat: quedam historica ex Theophrasto, Plinio, Athenæo, & Marcellino de margaritarum generatione, captura, usu, & dissolutione repetam, ut adolescentes intelligant, Ecclesie non tantum opus esse studijs Grammaticæ & linguarum, sed etiam aliarum artium, in primisq; historiarum adminiculis. Neq; enim hæc erudita Parabola à Christo proposita intelligi aut enarrari potest, nisi cognitis narrationibus, quæ apud historicos extant.

Constat inter omnes, qui de gemmis aliquid scripserunt, nusquam neq; meliores neq; pulciores reperiri margaritas, quàm in mari Indico & Persico. Quæ enim in Britannico mari gignuntur, nequaquã cum Orientalibus conferri ac comparari possunt. Nascuntur autem in certo quodam genere Ostrearum, quæ conchæ marinæ nominantur, suntq; ex imperfectorum animalium numero. Hæ conchæ etsi in mari versantur, tamen majorem caliditatem, quàm maris societatem habent, ut ait Plinius. Itaq; quotannis verno tempore genitalia semina, non quidem è mari, sed è cælo poscunt.

Etenim sub initium veris, sua quadam natura, mirabili siti torrentur: quã cum aqua salis maris restinguere non possint, magno agmine enatant ex mari, (quod à glacie eo tempore re-
solu-

solutum est) & ad littus repunt, ibiq³ sese quadā oscitatione pandentes, avidissimè rorem caelestē appetunt, eūdemq³ quasi attrahere gestiunt. Ex hoc rore caelesti & concha carne, (Omitto enim alias recentiorum quorundā disputationes) gēma illa salutaris nascitur. Ac pro qualitate roris accepti & pro ratione tempestatum sequentium fiunt margaritæ vel præstantiores vel ignobiliores. Nam gutta matutini roris clariores & rotundiores, vespertini verò roris guttula, rutilos & maculosos lapillos efficiunt. Suntq³ candida margaritæ præstantissimæ.

In primis autem admiratione dignum est, quod narrat Athenæus, margaritas fieri lucidiores & efficaciores, si concha impleta roscido conceptu agitentur magnis procellis & fluctibus. Hac enim sunt Athenæi verba: Φασὶ δὲ ὅταν βρονταὶ συνεχῆσσι ὡσὶ καὶ ὄμβρων ἐκχύσεισ, τότε μᾶλλον ἴν πίνναν κύειν καὶ πλείω γίγνεσθαι μαργαρίτιν καὶ εὐμεγεθῆ. Et paulo post ἡ μὲν ἔν ἐμβύθιοσ πίννα διαυγεσάτην ποιεῖ καὶ καθαρωτέρα καὶ μέγαλλω γεννᾷ μαργαρίτιν. ἡ δὲ ἐπιπολάζουσα καὶ ἀνωφερῆσ, διὰ τὸ ὑπὸ τῆς ἡλίου ἀκτινοβολεῖσθαι δύσχερσ καὶ ἡσσων, hoc est, quando cælum tonat & fulgurat, & plurimum est tempestatū, tum majores & lucidiores fiunt margaritæ. Sin autem concha grauida non immerguntur fluctibus, sed innatant mari, sole rubescunt margaritæ, Candoremq³ perdunt, ut corpus humanum cūm perpetuo sole torretur, ruborem cum nigredine mixtum induit.

Hanc mirabilem rationem, qua generosiores fiunt margaritæ, cūm crebra sunt magna tempestates, donec concha sunt grauida, maximè dignam memoria esse iudico. Nec pugnat cum Athenæo Plinij locus, in quo narratur: Si conchis apertis repente coruscatio micuerit, intempestiuo motu eas comprimī, subitaq³ formidine aut abortū aut perparuas margaritas effici. Nam nec Athenæi sententia alia est, quàm quod ita demum clariores margaritæ in conchis generentur, si fulmina ac procellæ justo tempore extiterint, posteaquam concha

chæ concepto jam rore rursus sese clauserint. Porro ut reliquis animantibus à natura insitus & quasi implantatus est amor maximus erga fœtum, & cura in custodiendis & defendendis ijs quæ procreauerunt, Sic & conchæ eximia quadam cura muniunt hunc fœtum seu partum suum, nec, nisi ex insidijs petantur, integrum atq; inuolatũ ad homines transferri patiuntur.

Ac Plinius quidem, quæ ratione cùm conchæ ipsæ captantur, tũm uniones ex ijs eximantur, his verbis lib: nono narrat. Concha ipsa, inquit, cùm manum videt comprimit sese, operitq; opes suas, gnara propter illas se peti, manumq; si præueniat, acie sua abscindit, nulla justiore pœna & alijs munita supplicijs. Inter scopulos major pars inuenitur, & in alto comitantur marinis Canibus. Quidam tradunt Sicut apibus, ita concharum examinibus singulas magnitudine & vetustate præcipuas esse veluti duces, miræ ad cauendum solertiæ. Has urinantium cura peti, illis captis, facile cæteras palantes retibus includi. Multo deinde obrutas sale, in vasis fictilibus, erosa Carne omni, nucleos quosdam corporum, hoc est, uniones decidere in ima. Hæc Plinius.

Eandem sententiam confirmant Athenæi verba lib. 3. κινδυνεύσι δὲ οἱ θηρώνισες τὰς μαργαρίτας, ὅταν εἰς κεχρηνῶλα κόγχον καὶ εὐθύ ἐκλείνωσι τὴν χεῖρα. Μύει γὰρ ῥότε καὶ πολλὰ κισοὶ δάκτυλοι ἀυτῶν ἀποπριονταί. Periclitantur hi, qui margaritas ex conchis eximere volunt. Nam digiti ipsorum sæpè à conchis hiantibus præmordentur.

Etsi autem magnus est margaritarum usus in monilibus, armillis, & similibus ornamentis corporum: tamen utilitates quas in medicatione habent, longè omnibus ornamentis anteponendæ sunt. Nam siccitate innata corporis redundantias absumunt, ut vel hinc vires, spiritus, cor, & principes corporis partes recreent. Ideò Cōtra Cardiacos, & melancholicos affectus plurimum celebrantur à medicis, & magno usu commendantur.

Quin

Quin & à vulgaribus & pestiferis malis defendunt, & diarrhæis magnoperè conferunt, hac tamen ratione ut vel in Polline vel alio quouis modo insumantur.

Oculorum præterea abundantem humorem finire, ideoque visui prodesse: oculis videlicet quàm tenuissimo earum pulvere immisso traduntur. Præcipua tamen laus est margaritarum quod cordi robur addunt, & venena opprimunt atq; extinguunt, Vt cum sudor Anglicus hominum memoria passim grassaretur, (Erat autem Synochus seu febris pestilentialis, absumens hominem intra 24. horas) plurimi seruati sunt efficacia coralliorum & margaritarum. Et medici quotidie ad suum illud Diamargariton velut ad sacram anchoram confugiunt quoties cordi languefacto opem & salutem ferre conantur.

Postremò ut historiam margaritarum tandem finiam, non alia ratione facilius, quàm aceto uniones dissoluuntur. Cum enim acetum naturaliter mordacitate quadam sit præditum: sua quidem vi ac natura facile uniones in tabem & quasi lentorem quendam resoluit. De quo paucis commemorabo summam narrationis quæ apud Plinium extat de Antonio & Cleopatra.

Cum enim Antonius (qui in potestate sua Orientem, quæ admodum Augustus Occidentem habebat) & Cleopatra quæ Regina Ægypti postrema fuit, inter se certarent de magnificentia cænæ apparandæ, & sponsionis iudicem elegissent L. Plancum. Hic Antonius ut ipse laudem magnificentia auferret, maximis sumtibus & exquisitis epulis splendore regio Cenam apparauit. Nec videbatur quicquam addi posse ad tanti apparatus magnificentiam.

Habebat autem Cleopatra duos maximos & præstantissimos Uniones, quibus nulli iudicati sunt similes esse per om-

C ne.

ne eum: Eos per manus Regum Orientis sibi traditos acceperat, atq; de auriculis more illarum gentium suspensos gestabat. Iussa igitur postridie suam quoq; Cenam apponere, primum quidem Cenam Magnificam, sed quotidianam Antonio apposuit. Postea secundarum mensarum loco, unum sibi vas aceti afferri postulavit. Idq; cum accepisset, expectante Antonio, quid actura esset, & reliquis omnibus spectatores se huius certaminis praebentibus, Cleopatra mox alterum unguem detractum de auribus, in acetum misit ac liquefactum absorbit. Iamq; alterum quoq; simili modo liquefactum Antonio absorbendum exhibere volebat. Sed L. Plancus iudex eius sponsionis, manum ei iniicit, victumq; Antonium pronunciauit, Atq; ita seruatus est alter unguis, quem Romani capta Cleopatra dissectum Romae in utrisq; auribus Veneris esse voluerunt. Alter vero quem aceto dissoluerat, maxime singulare, ut ait Plinius, & vere unicum naturae opus, centies sestertium, hoc est, ducentis Quinquaginta millibus aureorum, siue ut nos loquimur, duabus tonnis auri & dimidia estimatus est.

Narrat etiam Plinius Romae histrionem quendam fuisse, qui cum laudem Magnificentiae affectaret, singulis conuiuiis quos ad cenam iuuitarat, unguem ad sorbendum ex aceto apposuit, ut gustarent quomodo saperet. Nec vero cuiusuis est hanc Magnificentiae speciem exercere, quae in Cleopatra & histrione illo reprehensionem potius luxus meretur.

sed exempla haec ideo commemoro, quia ostendunt ungues ita dissolui solere, cum in acetum iniiciuntur, cuius vis atq; asperitas in tabem illos resoluit.

Haecenus igitur historiam Margaritarum exposui, Deinceps imagines quae in appellationibus & praecipuis historiae partibus proponuntur recitanda sunt. Quod dum facio, queso, ut me sicut cepistis, benigne attenteq; porro audiatis.

Non

Non obscure Christus ipse significat doctrinam verbi divinitus traditi, cuius causa vel in primis traduntur in Scholis lingua & artes necessariae, similem esse Margaritae. Ecclesia verò quae custos est hujus doctrinae, quemadmodum & schola, quae sunt pars praecipua Ecclesiae, cum conchis ipsis permagnam habent cognationem & similitudinem. Nam ut conchae gemmas suas & concipiunt & fouent intra testas fragiles: Sic nos etiam, qui membra sumus Ecclesiae, non in aureis sed testaceis vasis circumferimus thesaurum seu gemmam, hoc est, de Deo & alijs rebus bonis ac necessarijs, ut sublimitas potentiae sit Dei, & non ex nobis, ut Pauli verbis utar.

Quaquam autem magna pars hominum in tantis tenebris vivit, ut hanc ingentem infirmitatem naturae humanae pauci considerent: tamen nos commonefacti hac Imagine saepe cogitemus fragilitatem nostram, ut simus modestiores & ardentius à Deo auxilium petamus. Agnoscamus etiam in hac ultima & effœta mundi senectate majorem esse infirmitatem naturae, quam olim fuit. Nam ut in senibus omnes sensus fiunt languidiores, sic vires animorum & corporum magis magisque imminui in nobis & alijs cernimus. Accedit & Diaboli furor, qui cum videat instare diem iudicij extremi, multo rabiosius grassatur contra genus humanum & Ecclesiam, & omnes nervos potentiae suae in perniciem nostram convertit, ut Deum contumelia afficiat, & multis veram doctrinam Evangelij eripiat, eosque in exitium aeternum precipitet.

Vt autem conchae ducem habent, quo incolumi difficulter capi possunt: sic nos, non solum fragiles testas nostras & Diaboli insidias & potentiam intueamur, sed simul hanc consolationem teneamus, quod scimus nos habere ducem & custodem Filium Dei, qui cum perpetuo se nobiscum fore promi-

C 2 serit,

serit, speremus nos ab ipso conseruatum iri, & gubernationem ac defensionem ab eo petamus, & hac consolatione erecti alacrius singuli faciamus operas vocationis nostrae, quae vel Ecclesiae vel scholis vel gubernationi politicae & domesticae seruiunt.

Nec verò quicquam dulcius ad Ecclesiam & scholas congruit, quàm quod concha caelo gaudere, caeliq; maiorem societatem quàm maris habere scribuntur. Etsi enim necesse est Ecclesiam in hac vita versari in politijs & Oeonomijs: tamen πολιτεία nostrum, ut Paulus ait, in Caelis est. Quia Euangelium nequaquam constituit mundanum imperium, sed inchoat in nobis agnitionem veram Dei & vitam aeternam. Ad hanc caelestem politiam, in qua post resurrectionem mortuorum fruemur Dei sapientia & bonitate sine fine, preparemus nos fide, spe, confessione, & alijs pijs officijs, inter quae praecipuum esse debet ardens studium discenda & propaganda pura & incorrupta doctrinae Euangelij.

Quemadmodum enim Concha avidissimè appetit rorem à caeli cardine stillantem, ut hoc modo fecundata eniti possit Margaritas: Ita singuli pij obtemperare debent dicto Christi: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, hoc est, fide & bona conscientia amplecti veram doctrinam debent. Quod cum faciunt, non modò vicissim diliguntur à Deo, sed etiam templa ac domicilia Dei fient, iuxta promissionem: Pater meus diliget eum, & veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Quid potest autem majus aut melius cogitari, quàm non esse hostem Dei, sed Filium Deo charissimum, & hospitium seu mansionem totius Trinitatis?

Illud etiam saepè cogitemus: neq; Ecclesiam aliter colligi ex genere humano: neq; nos singulos templa Dei manere posse, nisi vocem Euangelij amplectamur, perinde ut conchae non aliter nisi rore fecundantur.

Nec

Nec verò deterreamur scandalo crucis, quæ perpetua comes est confessionis. Vt enim uniones fiunt generosiores in magna vi tempestatum: Sic certo consilio DEVS vult Ecclesiam in hac vita cruci subiectam esse, ut in arumnis conspiciatur decus Ecclesie, & crescat in pijs singulis lux fidei, agnitionis Dei, invocationis, patientiæ & aliarum virtutū.

Hæc Imago vel imprimis cogitanda est. Est enim de toto corpore Ecclesie verissimum, quod Basilius ad Alexandrinos scribit, ἐν τοῖς παρεχόμενοις τῶν ἐχθρῶν διωγμοῖς πληθύνεται ἡ ἐκκλησία καὶ μάλλον θάλλει. id est, in persecutionibus augetur Ecclesia & floret magis. Narrat Liuius magnitudinem populi Romani admirabiliorem propè aduersis rebus quàm secundis fuisse. Nullo enim tempore major virtus fuit Romane ciuitatis, quàm post cladem Cannensem, cum maximis prelijs victa, amissa magna Italia parte funditus ruitura videbatur. Ibi diuinitus excitata est magnitudo animorum & constantia & vigilantia in rebus aduersis, fuitq; virtus magis conspicua inter tantas aduersitates, ut dicitur ἐν τοῖς δυσχεραῖς λάμπει τὸ καγόν, hoc est, tamen per ipsas lucet arumnas decus.

Hæc cum in imperijs fieri constet, non est nostrum dubitare, quin multo magis eadem fiant in Ecclesia. Idq; exempla satis ostendunt. Nam Exodi. i. expresse scribitur de Israelitis: Quanto Ægyptij durius premebant Israëlitas, tanto magis multiplicabantur & crescebant.

Sic major gloria fuit populi Israël in deserto, & in Babylone, quàm unquam florente regno in terra Canaan.

Deniq; tota historia Ecclesie inde usq; ab initio mundi continet exempla plurima, quæ testantur Ecclesiam varijs modis premi, sed nequaquam opprimi, & laborare quidem, at non destitui, persecutionem pati, at non in ea deseri, deijci

at non perire, ut Pauli verbis rursus utar.

Neq̄, verò de corpore Ecclesiæ cogitemus tantum, sed etiam singula membra, seu pios singulos intueamur, ad quos simili ratione imago proposita verissimè congruit.

Etsi enim interdum fieri videmus, ut aliqui terreantur metu periculorum & quadam animi infirmitate doctrinam Evangelij abijciant, quam nondum benè & exploratè habent perceptam & cognitam: non aliter quàm supra dixi conchas abortum facere, si dum aperta adhuc sunt, & hiantes in litore prematura tempestates accidant: Tamen in ijs qui rectè in doctrina instituti sunt, nunquam magis crescit lux & sapientia spiritualis quàm in cruce. Nam in secundis rebus animi sunt securi, & minus ardent in invocatione, nec habent occasiones exercendi multarum virtutum decus. Est q̄ dictum Græci illius scriptoris de omnibus hominibus verissimum: δοκῆι μοι καλεπώτερον εἶναι τὰ ἀγαθὰ καλῶσ φέρειν ἢ τὰ κακὰ. Τὰ μὲν γὰρ ἔστιν τοῖσ πολλοῖσ τὰδε σωφροσύνη τοῖσ πᾶσι ἐμποιοῦν. hoc est: difficilius esse judico res secundas benè ferre, quàm res aduersas. Nam hæc quidem in magna parte hominum ferociam: Illæ verò in omnibus modestiam, & quandam in precipuis vite actionibus moderationem efficiunt.

Quæ cum ita sint, agnoscamus & celebremus inenarrabilem Dei benignitatem onerantis nos cruce & varijs calamitatibus, non ut pereamus, sed ut crescat in nobis sapientia spiritualis, robur fidei, consolatio, agnitio presentie Dei in ærumnis, patientia, modestia & aliæ virtutes, & cum Davide exclamemus: Bonum est mihi Domine, quod humiliasti me ut discerem justificationes tuas.

Sed omissa longiori enarratione imaginis concharum, quæ ad Ecclesiam hæctenus accomodauimus: ad margaritas sese conferat atq̄, conuertat oratio, cum quibus dixi, Christum conferre doctrinam uerbi diuinitus traditi, quæ est precipuum κειμήλιον Ecclesiæ & scholarum. Quem-

Quemadmodum igitur Margaritæ non ex mari nascuntur, sed ex rore cælesti: sic Euangelium non est notum naturaliter mentibus, sicut artium quarundam initia nobiscum nascuntur: sed est decretum per Filium Dei prolatum ex sinu æterni patris, seu arcano consilio diuinitatis, & postea literis mandatum per Patres, Prophetas & Apostolos qui Spiritum Sanctum rectorem ac gubernatorem habuerunt, & illustribus Dei testimonijs, resuscitatione mortuorum & alijs confirmatum. Et ut Ros Cælestis materia est generationis margaritarum: sic doctrina Euangelij sonans in Ecclesia & scholis Christianis, medium atq; instrumentum est regenerationis spiritualis ut dicitur: Euangelium est ministerium Spiritus. Et Fides ex auditu. Auditus per verbum Dei.

Quamobrem detestanda sunt deliria fanaticorum quorundam, qui homines à verbo diuinitus tradito abducunt ad imaginationes proprias, & sciendum est Filium Dei efficacè esse per doctrinam verbi & per eam flectere corda hominum ad veram Dei agnitionem & inuocationem. Ipsi etiam Deo gratie agenda sunt pro reuelatione tanti mysterij, & deplorandus est stupor & ignauia magnæ partis hominum, quòd pectora nostra non ardent amore Euangelij & gratiarum actione.

Vt autem Vnio non solum Bargaris est, sed etiam Margaris, hoc est, non modo pura & lucida crustula est, verum etiam amara: Sic incorrupta doctrina Euangelij, est quidem certissimum & purissimum doctrinae genus, cum quo nulla humana sapientia comparari potest: sed tamen amariciem crucis adjunctam habet, sicut Paulus non frustra nec temerè sed magno consilio Euangelium appellat verbum crucis.

Quemadmodum verò Margaritæ non tantum κερμίδα sunt, sed etiam ἀλεξιφάρμακα, hoc est, non solum in ornatu sed etiam in medicatione magnum usum habent Sic Euangelij doctrina non modo ornamentum est Ecclesie, quo ab alijs sectis

fectis discernitur: sed etiam remedium opponendum venenatis morsibus Diaboli, peccato & morti.

Hanc vim preciosa Margarita non sentiunt mentes secure aut ebria voluptatibus: Pij autem in vera penitentia, in inuocatione, in omnibus vite periculis, deniq; in media morte experiuntur, quam verè à Paulo dictum sit: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Vtinam verò in omnibus Christianis simile studium esset doctrina cœlestis seu verbi diuinitus traditi, quale in preciosa aliqua margarita comparanda Christus negociatoribus tribuit.

Nam si mercatores non inertes neq; ignaui tanto marium discrimine, tantis itineribus & laboribus margaritas conquirunt, inter tot tantasq; beluas marinas, per tot maria venientes, tam longo terrarum tractu, è tantis Solis ardoribus atq; ex Indis quoq; ipsis: quanto magis nos, qui Christiani & haberi & nominari volumus, omni studio, labore & diligentia debeamus preciosissimam hanc margaritam, id est, doctrinam veritatis cœlestis ultrò oblatã amplecti & exosculari.

Verùm multi Gallum illum Æsopicum imitantur, qui conspecto Vnione exclamauit: Quid mihi tam preciosa re inuenta opus est? Me tritici granũ oblatum magis iuuaret. Sic multi spreta & neglecta puritate doctrinae cœlestis alia consecretantur, quæ verè σκόβαλα sunt, si conferantur ad precium & dignitatem margaritæ illius. Multos etiam ea leuitate atq; inconstantia preditos videre licet, ut propter leue aliquod incommodum veritatem quam semel amplexi sunt, abijciunt.

Hi verò prorsus dissimiles sunt conchis, quæ gemmas suas sollicitè custodiunt. Quarum exemplo multo magis decebat pios omni labore & sollicitudine tueri & custodire preciosissimã gemmam veritatis semel inuentam. Nulla difficultates tantæ esse debebant, quæ nos deterrerent, nulli labores qui nos defati-

fatigarent, nulla illecebra, quæ nos ab hoc præclaro deposito ab-
ducerent. Verum illa, proch dolor, origo & causa mali omnis est,
quod pauci margaritæ illius præstantiam rectè animo metiun-
tur atq; intelligunt. Narrat Comineus rerum Gallicarum scri-
ptor celeberrimus, gregarium militem, Adamantem quendam
unionibus aliquot appensis ornatum & toto orbe celeberrimū,
quem Burgundiæ princeps Carolus, in prælio Gransonensi, unā
cum multis preciosis & exquisitissimis rebus à gente Helue-
tica victus amiserat, nactum fuisse. Sed is cum rei gemma-
riæ imprudens estimator esset, adamantem illum neglectim
habitum, vilissimo precio vendidit, quem si alius, rei preci-
um animaduertens consequi potuisset, maximi certè the-
sauri loco habuisset. Ita causa hæc est negligentia multorum
in querenda & retinenda veritate doctrinæ celestis, quod
neq; intelligunt neq; considerant, quantum bonum sit, bene-
ficij huius diuini participem esse.

Sed omissa hac querela ad cætera accedo, quæ restant,
quæ celeritate quanta maxima potero percurram, ne nimis diu
huic amplissimo cætui molestus sim.

Notum est grauisimum Pauli præceptum, quo iubet, ut
verbum Dei habitet inter Christianos abundè cum omni sa-
pientia. Cum hoc præcepto haud scio an quidquam venu-
stius congruat, quàm quod supra dictum est, Uniones singu-
lari arte ex conchis eximi oportere.

Sic igitur & in verbo Dei tractando magna requiritur
dexteritas & industria. Nam ut in vera doctrinæ expli-
catione dextrè iudicandum est, quæ membra coniungenda
quæ diuellenda, quid ex singulis membris bona consequen-
tia extruendum sit: Sic in refutatione errorum prudentia,
opus est in inquirendis fontibus falsarum opinionum, & causis
verarum sententiarum demonstrandis: quod sine adminiculis
artium & linguarum præstare nemo potest. Itaq; cum studio

D doctrinæ

doctrina caelestis necesse est semper coniungi laborem discendi, sicut inde usque ab initio Ecclesia Dei exulta literis fuit, & olim Ecclesijs frequentioribus erudita schola semper adiuncta fuerunt. Quod si quis sine literis & sine mediocri artium & linguarum cognitione accedere audeat ad tractationem doctrinae, quae est Ecclesiae Dei propria, ei plerumq; accidit, quod illis contingere solet, qui incaute atq; improuide ad uniones eximios accedunt, earum re aut periculum sibi accersunt, & à Conchis leduntur: aut Margaritas non integras neq; inuolatas sed, mancas & mutilas accipiunt.

Restat postrema pars similitudinis de dissolutione Margaritarum, quas supra dixi in acetum coniectas in tabem & quasi lentorem quendam resolui. Sic & caelestis doctrinae puritas corrumpitur, infuso aceto falsarum opinionum, quae oriuntur interdum ex confusione generum doctrinarum, Legis, Philosophiae, & Euangelij, nonnunquam ex affectuum prauitate existunt. Manifestum est enim valde obscurari & corrumpi doctrinam Euangelij, cum miscentur ac confunduntur diuersa doctrinarum genera. Vt cum Pharisei aut Monachi promissionem gratiae transformarunt in legem, & Articulos fidei corruerunt imaginationibus sumtis ex iudicio rationis. Quantum verò puritati doctrinae Ecclesiae noceant affectus, exempla testantur. Nam omnibus aetatibus mundi ita fieri solet, ut non solum gentes, sed etiam singuli priuatim, nisi diuinitus regantur, doctrinam Ecclesiae inflectant ad suas naturas & affectiones. Ac de gentibus magis perspicua exempla sunt.

Aegyptij & Syriaci natura dediti fuerunt prodigiosis superstitionibus. Ibi igitur primum nati fuerunt Monachi, qui toti erant in obseruandis superstitionis Ceremonijs & ritibus, quibus quasi aceto infuso paulatim corrupta est doctrina Euangelij. Graecis ingenijs blanditur concinnitas opinionum & subti-

subtilitas arguta disputationum. Cum igitur & ipsi ad hanc naturam suam inflecterent doctrinam caelestem, semper in hac gente plus fuit callidarum disputationum, quibus doctrinam de Trinitate & duabus naturis in Christo eludere conati sunt.

In Africa late vagata sunt contagia Manichaorum, quia illud hominum genus, etsi aliquid habet acuminis, tamen concinnitatem non querit, sed delectatur novis & prodigiosis inuentis

Romanis & Italis quasi innata est dominationis cupiditas, ut in versibus dicitur: Tu regere imperio populos Romanae memento, Haec tibi erunt artes, pacisque imponere morem. Quare Episcopi Romani cito ceperunt constituere dominationem in Ecclesia, & regnum Christi transformarunt in regimen politicum.

Germanis ingenuitas & libertas grata sunt. Ideo plerique abutuntur doctrinae Evangelij ad licentiam, qua certe velut aceto corrumpitur atque dissolvitur praestantissima illa Margarita purioris doctrinae Evangelij. His exemplis moniti discamus vitare corruptelas doctrinae caelestis, & quia semina horum malorum etiam in teneris animis adolescentiae altis radicibus haerent, cogitemus ad integritatem gemmae illius preciosissimae conservandam, non tantum doctrinae & institutione, sed etiam disciplina juventuti opus esse. De quo plura sane dicerem, nisi me temporis ratio cogeret abrumpere tandem orationem, ne vestra in me audiendo benevolentia & humanitate abuti velle videar. Cum autem hic locus, reliquijs Bibliothecae asseruandis ante hac destinatus, deinceps non mutis amplius preceptoribus, sed viva voci docentium servire debeat, pie me facturum arbitror, si Orationem hanc, quae prima in hoc novo auditorio nunc habita est, partim gratiarum actione, partim precatione ad Deum concludam: Cum non alia sanctior initiationis seu consecrationis loci istius ratio esse possit, quam si post commonefactionem de dulcissima parabola à Christo pro-

posita, eas quas Deo debemus gratias animo & voce religiosa
profiteamur, & vota ac gemitus nostros jungamus profeli-
ci auspicio & incremento hujus Gymnasij.

Sic igitur mecum omnes precamini: Tibi, Deus omnipotens
& misericors, Pater aeternae D. N. I. C., fonti & auctori omni-
um bonorum, unà cum Filio tuo Domino nostro Iesu Christo, &
Spiritu Sancto tuo, toto pectore gratias agimus, quod doctri-
nam caelestem, tanquam gemmam, qua nihil preciosius cogitari
potest, immensa bonitate nobis donasti & conseruasti haec-
tenus: & colligis tibi adhuc inter nos Ecclesiam: & inclytam
Rempub. Bremensem clementer protegis ac seruas contra tot
aduersationes, molitiones, & manifestam rabiem hominum
Cainico odio nostri furentium: Maxime verò quòd animos
amplis: Senatus excitasti, ut amplificatione scholæ huius
patriam ornare decreuerint, & hoc die, solenni isto congressu
auditorium hoc nouum lectionibus publicis deinceps in eo ha-
bendis consecrare, & spem iuuentuti scholasticæ, quasi signo e-
recto confirmare voluerint, quòd doctrinæ caelestis sincerioris
& aliarum artium & disciplinarum studia, quibus neq; Eccle-
sia neq; Respub. neq; vita communis carere potest, in hoc Gym-
nasio conseruare, & ad posteros tanquam per manus trade-
re cupiant.

Oramus te aeternae Deus, pater Domini ac liberatoris nostri
Iesu Christi, cum Filio & Spiritu Sancto tuo, veris & ardenti-
bus gemitibus, ut deinceps etiam Ecclesiam aeternam tibi inter
nos perpetuo colligas: & serues nobis haec tua dona tanquam
gemmas preciosissimas, vocem Euangelij incorruptam & lite-
rarum studia: & Magistratum nostrum, sicut haec tenus, ita &
in posterum gubernes, ut nutricium & patrem Ecclesiae & scho-
lae istius se praebeat, & omnia consilia sua ad nominis tui glori-
am & ad publicam salutem dirigat ac referat. Effice o Deus
ut inclyta Respub. Bremensis perpetuum domicilium sit tuae
Eccle-

Ecclesia, & sedes docentium ac discipulorum veritatem abs te nobis patefactam & alias disciplinas humanæ vitæ necessarias. Fortuna institutum noui huius Gymnasij. Da doctores Idoneos. Rege docentium & discipulorum animos, ut tibi grata, Ecclesie salutaria, Reipublicæ utilia doceant, discant, agant & faciant. Concede nobis pacem, concordiam mutuam, & tranquillitatem. Confirma hoc in nobis quod operatus es, & cum dederis velle, da etiam perficere. Declara posteritati nostræ publico & manifesto testimonio iudicium tuum de hac doctrina quam Ecclesie & scholæ huic dedisti. Ostende quod hæc sit veritas tua, quam ex ore filij tui & ex testimoniis Prophetis & Apostolicis, voce & scriptis profiteamur. Refuta calumnias & seuitiam hostium tuorum. Testare & Ecclesie tuæ & hostibus huius, argumento illustri, quod tu plus possis, quam Diaboli & impiorum artificia & conatus. Hæc omnia abs te petimus per & propter Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, mediatorem nostrum, cui unâ tecum & cum Spiritu Sancto sit laus, honor, & gloria in æterna secula.

CARMEN M. REINERI LANGIJ,
De instituto Ampliss: Senatus Reip:
Bremensis in Gymnasio novo
exornando.



Vale decus flores sunt horto, gramina campo,
Lingua ori, fronti lumina, mens capiti:
Tale decus sanctis instructæ legibus urbi
Æonia præbent alta theatra Scholæ.

Namq; velut sine mente, hominis; sine gramine, campi;
Et sine flore, horti gratia tota perit:
Sic nihil est urbem muris opibusq; potentem
Esse virisq; scholæ cum sine honore jacent.

Qua

Qua sine nulla quidem poterit Respublica stare
Firmiter, atq; suum salva tenere locum.
Qua sine percipiet nullas Ecclesia vires,
Perdeturq; p̄j sancta corona gregis.
Hic etenim mentes primis vernantibus annis
Addiscunt summi jussa verenda DEI.
Hic suavi imbuitur pietatis odore juventus,
Quam benè supremum servet ad usq; diem.
Prima jacet morum fundamina, ne male vivens
Irritet lasi Numina seva DEI.
Instruitur varijs, cælesti munere, linguis,
Possit ut externo doctior ore loqui.
Et formata bonis doctrinis, pectore multas
Colligit egregia cognitionis opes.
Quas alijs iterum pulcro conamine tradat,
Atq; sua cœtus quoslibet arte juvet.
Scilicet hic fons est, qui puro lucidus omnes
Irrorat partes flumine, cuncta rigat:
Qui si exarescat, quo fonte, quibusve medelis
Sedabit siccam fessa caterva sitim?
Hic Trojanus equus, cujus reſerata benignè
Illustres abvvs proferet arte viros:
Hunc sine submerges undis, aut igne cremabis,
Inventure alio pectora magna loco?
Quàm micat in fulvo, radiosa luce, monili
Indica gemmifero Margaris acta vado?
Exime paulisper: quàm mox tibi vilis aurum,
Gratia quàm subito parva monilis erit?
Hæc vena est: trahit è venis arteria succum,
Spiritus ex isto sanguine vivus adest:
Excidas venam, saltemvè incidere cures,
Sanguis erit, veniat spiritus unde, tibi?

Tolle

Tolle Scholam, cernes retrò sublapsa referrì
Omnia, quodq; putas firmitus esse, ruet.
Tolle Scholam, nemo studijs incumbere, nemo
Castalio poterit fonte levare sitim.
Troica barbaries, atq; impietatis honores
Nullius ferro, nullius igne cadent.
Fama, decus, splendor, quibus ante celebris adibat
Sidera, & antiquus concidet urbis honos.
Non fuerit qui ritè DEI mysteria pandat,
Qui possit sacros ritè secare libros.
Nec facile invenies multis è millibus unum,
Munia committi cui graviora queant.
Et mirum, si barbaries immanis, & atrox
Impietas redeant, deficiente Schola?
Si scelerum tenebris involvant omnia, mirum
Ad deformem etiam cuncta redire chaos?
Ergo tibi, qua me antè alias rapis inclyta terras,
Immemoremq; diu non sinis esse tui,
Gratulor ex animo, carissima Patria, quòd sis
Multiplici mitis dote beata DEI:
Non armis tantum, muris, opibusq;, virisq;,
Et vallis tuus est tutus ab hoste locus:
Sed Schola, formatrix animorum nobilis, urbem
Inprimis, tanquam splendida gemma, beat.
Ista tuam magno late dispergit in orbe
Famam, que nullo sit peritura die.
Ista suam Musas, Parnassia culmina, sedem
Linquere, & in nostris mœnibus esse facit:
Hinc novus auditur per littora cantus, ad undas
Ducit ubi letum doctus Apollo chorum.
Hinc magis elato tumidus fluit amne Visurgis,
Atq; sua in liquidis cornua jactat aquis.

Ocea-

Oceanoq; relaturus dulcissima patri
Gaudia, precipiti gurgite vastus abit.
Perge modò castis semel edificata Deabus
Atria persimili condecorare modo.
Quamq; recepisti tectis, ne pelle, coronam,
Extingui tantum nec patiare decus.
Quiq; bene Aonidum multo cum thure ministrent
Sacra, viros doctos quare, tuere, fove.
Sic faciesq; Deo rem gratam, & nominis ampla
Laude tui implebis Solis utramq; domum.

F I N I S.



A3 52 5/k,8

ULB Halle

3

001 943 405



sb



ORATIO
CONTINENS EX-
PLICATIONEM PARABO-
LAE TRADITAE A CHRISTO
MATTH. XIII.

*Simile est regnum caelorum negotiatori, qua-
renti pulchras MARGARITAS. Qui inven-
ta magni precij margarita, abiens vendidit
omnia quae habuit, & emit eam.*

Recitata à

CHRISTOPHORO PEZELIO

S. Theologiae Doctore.

In Solenni initiatione auditorij novi,

SCHOLAE BREMENSIS.

IIII. Calend. Iunij Anno Christi 1584.



In officina Theodori Gluichstein.

*ab Bogen B
zu vorigem Teil*

